

ritus; qui autem seminavit justitiam, accipiet mercedem fidelem; Symmachus, manus manui conserens; S. Hieronymus contra Rufinum, manus inferens; Hebraei, manus ad manum non erit insons impius; Arabici, qui injicit manum in oppressione, non erit sic supplicios; et qui seminavit justitiam, premium fidele, scilicet recipiet.

Proverbum hoc videtur aenigma; quare obscuritas ejus varias et perplures peperit expositiones. Eas ad novem redegit Joannes Baptista Navaretus in Thren. iii. Prima est: In Hebraeo est, manus ad manum, id est plaga super plagam, et adhuc impius non est innocens, sed in sua perseverat malitia, ut fecit Pharaon. Quae verba etiam repetuntur cap. xvi: « Abominatio Domini est omnis arrogans; etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens. » Sumpta metaphoram a linteaminibus sordidis, quae semel atque iterum sapone lavantur et non dealbantur.

Secundus sensus hujus loci est: Quidquid conector malus, licet ambas congerat manus, abunde opibus a favore, non exhibet peccatum suum, nisi penitentiae pharmacum sumpserit.

Tertius: Licet peccator suum dissimulet peccatum, quemadmodum una manu posita super aliam pecuniam tegimus; sic licet sua velit occultare crimina, non effugiet supplicium Dei.

Quartus sensus est: In Hebraeo est manus ad manum. Loquitur Salomon de homine fraudulento; et ideo dixerat: « Abominabile est Domino cor pravum, et voluntas ejus in his qui ambulat simpliciter; » et statim subjungit: « Manus in manu, » hoc est, licet fraudulentus tribuat propria manu tibi munera, atque ea in manu tua reponat, ne te illi committas, neque ei fidas, quia non intendit benefacere, sed decipere. « Semen autem justorum salvabitur, » id est a fraude, et dolo, quem impij machinantur, liberabit Deus justum.

Quintus sensus est Joannis Arborei. Septuaginta legunt, manus manum injiciens, seu conserens, non erit innocens impius, id est, licet impius manum manui jungat, et ad horam a pravo opere manum retrahat, nilque mali exterius operetur, non refert cordis innocentiam: malum enim corde machinatur, interior alit monstrum; et sic exponit D. Gregorius, lib. XXV Moral. cap. iii, et Beda.

Sextus sensus: Manus in manu, hoc est, offensus et repente superveniet ultio impio. Itali solent dicere, a mano a mano pro statim, et cum res aliqua est juxta aliquid, solemus dicere, res est ad manum. « Non erit innocens, » est Hebraicus tropus, pro eo quod est, non erit impunitus. Ita lib. I Reg. xxvi: « Quis extendit manum in Christum Domini, et innocens erit? » hoc est, erit impunitus. Vel manus ad manum, id est subito, celeriter, facillime; nil enim facilius aut celerius facimus, quam unam manum alteri jungere, q. d. Subito iniquitas impij manifestabitur. Ita exponit Cajetanus et legit manus ad manum; asseritque esse aliquorum Hebraeorum sensum.

Septimus sensus: Etiamsi conspirent impij in unum, et mutuo sibi praestent auxilia, et in signum hujus conspirationis manus sibi dent, non evadent supplicia, licet multi sint in scelere participes. Tali enim malorum factiosi opponitur congregatio justorum, de qua dicit Salomon: « Semen autem justorum salvabitur. » Ita exponit Jansenius. Et sic Psal. lxx, de impijs dicitur: « Adipem suam concluserunt, » id est omnes vires suas sociaverunt ad perpetrandum mala, et sic addit David: « Os eorum locutum est superbiam. »

Octavus sensus, qui est Bayni: Ubi manus filii ad manum patris additur ad malum, cum filius et posteri peccata majorum sequuntur, non erunt impuniti, et sic sequitur: « Semen autem justorum salvabitur. » Ad mercedem justorum multum valet parentum pietas quam sequuntur.

Nonus sensus: Si manus Dei ad manum hominis accedat, hoc est, si Dei praeccepta conseruntur cum operibus quae malus facit, cognoscetur manifeste supplicii reus, nec poterit supplicium evadere. Chaldaeus paraphrastes suppllet quaedam dicens, qui extendit, vel mittit manum contra socium suum, non est innocens a malo.

Duas alias expositiones de avaritia et eleemosyna affert ceterisque praefert noster Salazar. Prior est: Manus ad manum, scilicet addita, significat plures manus; sicut dies ad diem, annus ad annum, scilicet additus, significat plures dies et annos. Sensus ergo est, q. d. Avarus qui plures habet manus ad depredandum aliena, estque instar Briarei gigantis centimanus, non erit innocens, id est impunitus, sed suorum scelerum et rapinarum poenas exsolvet: « Semen autem justorum salvabitur, » id est, filii autem misericordium, qui aliena non rapiunt, sed sua in pauperes liberaliter elargiuntur, omnia evadent supplicia.

Posterior: Olim, inquit, apud Romanos mos erat manus manui injicere, aut conserere, cum his alicui super fortunis aut re familiaris intendebatur. Unde illud Tullii epist. ad Trebatium:

Non ex jure manu conserunt, sed magis ferro Rem reptant.

Quare juxta Septuaginta sic exponit, manus manui injiciens, aut conserens injuste, non erit impunitus, id est, qui injustas pauperibus lites intendit, et manu conseratos in jus vocat, ut bonis suis per injuriam eos spoliat, mentis sui sceleris poenam dabit. Qui autem seminavit justitiam, accipiet mercedem fidelem; justitia sumitur pro eleemosyna, q. d. Qui et converso non spoliat pauperes, sed liberalibus largitionibus illis succurrit, et inopiam eorum sublevat, fidelem, hoc est certam et constantem mercedem auferet. Veram hic ritus conferendi manum in lite fuit Romanorum, non Hebraeorum.

igitur hoc proverbio: Manus ad manum, Sep-

tuaginta, Syrus, Arabicus et Chaldaeus censent significari violentiam; alii olium et pignritam, ut Salomoni; alii cognationem; alii multitudinem; alii secretum; alii fraudem; alii conatum; alii celeritatem. Unde Pagninus, verit, mox mox non erit impunis vir malus; semen autem piorum evocit. Et R. Levi sic exponit: Manus in manu, id est quando aerbissimas calumnias quasi de manu ad manum inopinatum ingruunt, universique ob illas periclitantur, periculum duntaxat ad justos pertinebit, noxa vero ad impios; impii enim insipienter, justo vero commune periculum sine noxa evadent. Rursum Evagrius in Catena Graec.: « Per injustam, inquit, manuum in manus injectionem munerum venationem, jure prohibitam hoc loco significat. Qui igitur aliter affecti, hoc est, a vitio illo alieni, seminant justitiam, illi accipient mercedem fidelem, veram et certam, ut qui avaritiam non attendant, ut illi. Quia vero qui justitiam operatur, ex Deo natus est: Deus autem vita est; fit ut ille justitiam seminare recte dicatur, qui de Deo cognitione virtutumque studio alios instruit. »

Verisimilius est hoc proverbium: Manus ad manum, significare conspirationem, societatem, propagationem, posteritatem (1), q. d. Licet malus sive impius multos habeat sceleris socios, successores et posterus quasi manus auxiliares, non tamen erit innocens, id est impunitus. Esto manum filiorum et nepotum, amicorum et sodalium quasi exercitum in aciem educat, tamen hic eum tutari, ut potentiorum Dei vindictis manum evadat, non poterit. Ita Jansenius: Sensus, inquit, est, q. d. Etiamsi inter sese conspirant impij, non erunt tamen impuniti; at justorumque posterit impiorum conspirationem, aequae ac punitionem evadent. Sic apte constat antithesis; opponitur enim semen justorum semini et posteritati impiorum, quasi congregatio congregationi, societas societati, successio successioni, posteritas posteritati. « Isti enim in se et in posteris premiantur, sunt felices; impii vero in se aequae ac in posteris miantur, suntque infelices. Hunc sensum aruit repetitio hujus sententiae cap. xvi, vers. 3, et de superbo, qui filiis sociisque stipatus gloriose incedit, dicitur: « Abominatio Domini est omnis arrogans, etiamsi manus ad manum fuerit; non erit innocens. » Rursum eundem arguit, quod manus sit symbolum societatis, indeque potentiae et roboris, juxta illud:

An necis longa regibus esse manus?

Et illud: « Multae manus onus levius reddunt. » Nam, ut ait Heraclides: « Invalida pugna est unice tantum manus, quia unus vir nullus vir. » Et illud Virgilio: « Juvencus manus emicat ardens; »

est enim haec militum manus copiosa, ideoque valida.

Moraliter S. Gregorius, lib. XXV Moral. cap. vi: « Ad Deum, inquit, quasi toto gressibus mens accedit, quot bonis motibus proficit. Et rursum toto gressibus longe fit, quot malis cogitationibus decrescit. Unde plerumque contingit ut necdum procedat in opere motus mentis, et tamen perfecta jam culpa sit ex ipso reatu cogitationis, sicut scriptum est: Manus in manu non erit innocens malus. Manus enim manui jungi solet, quando quiescit in otio, et nullus eam usus laboris exerceat. Manus ergo in manu non erit innocens malus, ac si diceret: Et cum manus cessat ab iniquo opere, malus tamen non est innocens per cogitationem. »

22. CIRCULUS (Syrus, sicut circulus) AUREUS IN VARIIS SUIS, MULIER PULCHRA ET FATUA. — Septuaginta, inauris aurea in aure porcae, sic mulier zozozoz, id est male prudens (Complutenses, stultis; S. Hieronymus in cap. xvi Ezech., male morata pulchritudo; Hebraice, quod inauris est in naribus suis, hoc est mulier pulchra, et recedens a sapore et stultis, id est deficientis consilio et sapientia, insulsa, vecors, stulta. Hebraice צי נעצן proprie significat inaurum, id est ornamentum aurium, sive monile ex aure pendulum; pro modo tamen significat monile ex fronte vel naribus dependens, qualis est circulus aureus (2). Unde Chaldaeus vertit, sicut monile aureum in naribus suis, sic mulier pulchra et fatido sensu; Syrus et Arabicus, tanquam inauris auri in naribus porcae, sic pulchritudo in muliere fatida gustu, id est quae ore fetet, sive cui fetet anhelitus, aut potius quae fetet insipientia; gustus enim, cibos discernens, symbolum est sapientiae virtutes a vitis discernens, q. d. Quae corruptum habet palatum et judicium mentis, id est insipientis et imprudens.

Primo, Jansenius sic exponit, q. d. Sicut aureus circulus non convenit in naribus suis, nec suum ornat: ita nec pulchritudo, quae per se res est praecleara, non convenit mulieri stultae, sed male ibi videtur a natura collocata, sicut postea dicitur: « Non decent stultum verba composita. » Et: « Non decent stultum deliciae. » Sicut enim suis circulo aureo naribus infixio non novit bene nisi, ita nec mulier stulta sua pulchritudine. Deinde, quia sicut suis circulo aureo non cohibetur a suffodienda terra, sed nihilominus se ceno immergit circulumque foedit: ita et mulier vecors, cum pulchritudine sua gloriam sibi comparare debere, non ea tamen retrahit a voluptatum illecebris, sed voluptatum ceno se immergit, sicut pulchritudinem sua insipientia foedit et obscurat. Quocirca viro uxorem pulchram et fatuam habenti faciendum est, quod monet gnomem Syrorum et Arabum: « Si habueritis rete, trahite illud ne forte traharis ab ipso, id est, si habueritis uxorem

(1) Ita fere Schultens, qui vertit, de manu ad manum, per omnes generationes, etates, impunis non erit, id est, nunquam impunis esse malus. Cf. Exod. xi, 5.

(2) Vid. quae ad Gen. cap. xxv, vers. 22, de hac voce attulimus.

rem, subijce illam tibi, ne ipsa te sibi subijciat, ac te secum perdat. »

Secundo et nervosius, comparat mulierem pulchram, sed stultam et impudicam immunde sui, sive porco, pulchritudinem vero ejus circulo aureo in naribus, q. d. Sicut sui naribus cœnum sursum dorsum versans, aureum illum circuli ornatum corrumpit, planeque deformat: sic mulier pulchra et impudica inquinat et deturpat pulchritudinem sua immunditia, imo ea abutitur ad libidinem, juxta illud Poeta:

Lis est cum forma magna pudicitia.

Ita applicat auctor *Catena Græc.*, Beda, Lyranus, Baynus, imo Clemens Alexandrinus, III *Padag.* cap. xi: « Quomodo, inquit, aurum pollutur immunditia suis, cœnum rostro suo conturbans: ita que sunt paulo magis luxu deditæ mulieres, si nimis copiis inventur ad libidinem et impudicitiam, probro ac dedecore afficiunt veram pulchritudinem, eam inquinamentis Venus polluentes. » Sic et S. Chrysostomus quem citat ibidem Scholiastes Clement: « Sicut porca, inquit, ea maxime parte corporis sui (id est nare) lutum ac cœnum vertens, aurum mundum vitiat atque inquinat: sic et mulier suam ipsius commaculat bonam formam.

Tertio, noster Salazar, q. d. Sicut aureo circulo naribus adactis suis trahitur a quolibet quocunque lubet: sic mulier auro et donis trahitur a quolibet ad explendam ejus libidinem. Similis est phrasid *Job. xi. 21*: « Numquid pones circulum in naribus ejus? » Septuaginta, *numquid circumpones capistrum circa os ejus?* Verum quia donorum hic non fit mentio, sed tantum fatuitatis et pulchritudinis, que comparantur circulo aureo, ut vertunt Septuaginta, hinc

Quarto, aptissime et nervosissime mulier impudica comparatur sui, fatuitas circulo narium, pulchritudo aureo; femine enim fatuitas, id est facilitas, qua viris aridet, confabulatur, consentit, puta veors lasciva et impudicitia est instar circuli, quo eam viri lascivi apprehendunt, et circumagunt ad suas datam esse dicit Chrysippus; pulchritudo vero est instar auri splendentis quod virorum oculis ferit rapitque, ut circulum hinc anreum, id est lascivam pulchritudinem apprehendant, per eamque mulierem suæ concupiscentiæ subijciant. Alludit notaque inares et monilia, quibus se ornant femine, ut viros alliciant. Pulchritudo enim hic tam naturalis quam adscititia, qua se femine stibio fucant, et monilibus ornant, intelligitur. Hebraice enim נִזְמָה *nezem* significat ornamentum seu monile, quod publice vel in fronte, vel in naribus, vel in auribus prostituitur causa merendi gratiam; unde aliqui lexicographi *nezem* per duarum priorum litterarum metathesin, adjecta littera mem, derivant a נִזְמָה *zama*, id est fornicari, mereri, prostituere se.

Dicit ergo quod pulchritudo hæc feminarum

tam naturalis, quam adscititia ex fuce et monilibus, sit similis circulo aureo stum, sive porcorum. Primo, quia sicut hic ornatus sues non decet, nec decorat, sed potius dedecorat: sic et pulchritudo ista mulieres fatuas et lascivas non decorat, sed deturpat et infamit. Secundo, quia, sicut sues circulum aureum narium, dum naribus vertunt cœnum, luto commaculant: sic femine lascive suam formam fœdant, dum eam libidine inquinant. Tertio, sicut circulo aureo sues trahuntur et circumaguntur a subuleis: sic femine sua forma ab impudicis trahuntur et rapiuntur ad scelus. Quarto, naribus suis gratias et suavius olet cœnum quam unguentum, ait Læretius lib. VI: ita meretrici suavis olet sordes fornicationis, quam aromata et lilia castitatis.

Porro femine vecordes et impure recte adæquantur sui. Primo, quia sus est animal plane stolidum; unde S. Augustinus, lib. VI *Contra Faust.* cap. vii: « Quod in rerum figuris porcus, inquit, hoc in rerum genere stultus. » Et Horus Apollo in *Hieroglyphicis* docet Egyptios sapientem representare per elephantem, stultum et stolidum per suem. Quod ergo est gladius in manu phœnetici, hoc est pulchritudo in femina fatua et lasciva; sicut enim ille gladio impotentem utitur, multosque ferit, sic et lasciva sua forma verberat, feritque multorum oculos et animas.

Secundo, sues totos dies in cœno se volutant, eoque gaudent: sic et femine lascivæ non nisi lascivia et impudicitia delectantur. « Porci, ait auctor Imperfecti in *Matth.* hom. 17, proprium est in cœno se voltare, nunquam in celum aspiciere, nec querere dominum suum: » sic et impudice in cœnum voluptatum projectæ nunquam in celum aspiciunt, nunquam Deum Dominum vindicemque cogitant.

Tertio, sues sunt prone admodum in venerem, teste Aristotele, lib. VI *Histor. animal.* cap. xviii: sic et femine lascivæ. Rursus, sus est animal fedum, gulosum et immundum. Unde Cicero, lib. II *De Natura Deorum*: « Sus, inquit, quid habet præter escam? cui quidem ne putresceret, animam pro sale datam esse dicit Chrysippus. » Hæc de causa suilla carnis esus vetitus fuit Judæis, *Levit. xi. vers. 7.* Vide ibi dicta.

Quarto, sus est animal impudens æque ac indocile: tale est et femina impudica sive meretrix. Unde Aristophanes Hippocratis filios suem respere dixit, quod inscii essent et moribus non admodum compts. Et Pierius, *Hierogl.* 9 cap. xi: Sus, inquit, est hieroglyphicum indocilitatis; nam apud Physiognomos suilla frons, brevis quippe et hispida capillis sursum versus erectis, in oculis indicium est manifestissimum. Est enim animal maxime brutum suum, nullumque animalium magis indocile, cum reliquæ omnes pecudes aliquid habeant in quo, dum vivunt, usus, vel industria, vel frugalitas prosit. Hinc proverbium: « Sus Bœotica, » pro valde tardo et stulto. Hinc

et porcus præcis erat delirii piaculum, ut ibidem ostendit Pierius, cap. xix.

Denique S. Chrysostomus, in *Catena Græcorum*, proponit questionem: « Cur Dens, nature auctor, mulierem mente destitutam, specie effingit venusta? Aut cur, eam venusta condita esset, defecta est stulta? » Ad respondet: « Deus mulieribus natura stolidis forme pulchritudinem non nunquam indulget, ne prudentes sagacique ingenio prædite liberalis forme gratiam plus æquo mireatur; verum prudentiam et intellectum forme venustati anteponat, illudque consecutur quod vere bonum et pulchrum: sic fatuis quoque hominibus magnas quandoque opes concedit et facultates, quo prudentes intellectus donum, quod stultis deest, considerantes et admirantes, propter opum penuriam animo non candidant, sed illud, quod vere bonum est, studiosè perscrutant. »

Quocirca auctor Imperfecti, hom. 45 in *Matth.*, sanum hoc juvenibus dat consilium: « Tu itaque, juvenis, ait, quando uxorem ducere vis, noli querere divitem, sed bene morigeratam, quia moris boni divitias frequenter acquirunt, divitiæ autem mores nunquam fecerunt. Et gloriosior est paupertas fidelium, quam divitiæ peccatorum. Noli querere speciem, quia scriptum est: Sicut inares aureæ in naribus porci, ita mulieris inæ morigerate species. Quia in specie meretrices placent, in moribus autem matronæ. »

Hinc gnomen eleganti pavonis et corvi apolo explicat S. Cyrillus, lib. II *Apologorum moralium*, cap. xxy, cui titulus: *Contra eos qui gloriantur in carnis specie.* « Pavo, inquit, aureis pennis decoratus, ac plumea luce pomposus, coram corvo vanam sese effundebat in gloriam, atque illum de penne nigredine confundebat. Cujus mox corvus dementia demerens: De ne video, inquit, quod in te regula physiognomiæ non fallat. Nam quia parvum tanto corpori habes caput, ideo minoris es sensus. Unde non miror si in penna volatili, que a vento rapitur et defertur, tuam ut levis leviter gloriam possidis; omnis enim caro fennum (*Isaie. xl. 6*), et omnis gloria ejus quasi flos agri; decor namque floris pulchritudo est carnis. Formositate quippe materie rutilat, soliditate non durat, et levitate quantociens evolat. Amens ergo gloriari in umbra; sed sicut aureus circulus est in naribus sordide suis, sic et carnis luciditas cum ignavia mentis. Quod si igitur ex venustate corporis gloriaris, jam te tua luciditas demigrabit, tuaque te specie deformabit. Nam forma carnis mentis pulchritudinem abstulit, et lumen corporis splendorem anime fugavit. » Ostendit deinde hanc majore deformitate obscurari et obrui. « Te laudarem, si deformitatem in tua forme substantia non viderem. Nam caput habes serpentinum, sonum pectoris ululosum, cor malevolum, pedem fœdum. Numquid carnis vane laudanda species est, cum substantialis forme defectu mens

ipsa deformis sit? Absit: nam anima quanto caro sit pulchrior, tanto fit ipsa deformior. Vera igitur species est, virtus mentis, et gloriosa formositas, claritas rationis. Quibus dictis, ex sua specie confutatum pavonem dimisit stultem. »

Topologie Abbas Nestoros apud Cassianum, *Collat. XIV.* cap. xvi, hæc accipit de viris doctis, sed turpiter viventibus: « De istis ergo, inquit, qui imaginem quamdam scientie videntur acquirere, vel de his qui, cum sacrorum voluminum lectione, ac memorie Scripturarum diligenter insistunt, carnalia tamen vitia non reliquant, in Proverbiis eleganter exprimitur: Sicut in aëre inares in naribus suis, ita mulieri male morate pecies. Quid enim prolest quemquam ornamentum eloquiorum celestium, et illam pretiosissimam Scripturarum speciem consequi, si eam luttulentis operibus vel sensibus inhærendo, quasi immundissimam terram subigendo confingat, aut cœnosus libidinum sturum pollutat volutabris? » Sic et S. Hieronymus in *Ezech.* cap. xvi, ad illa: *Et dedi in aëre super naves tuas.* « Quando vivimus, inquit, et de nobis dici potest: Non mortali laudabunt te, Domine, sed nos, qui vivimus; tunc odoratur Deus odorem sacrificii nostri bone fragrantie, et autrum circulum sensuum ac dogmatum divinarum habemus in naribus. Quando vero mortui sumus, et versamur in cœno atque in sordibus turpitudinum, habemus illum in aëre in naribus, de qua scripsit Salomon: Sicut in aëre aurea in naribus porca, sic mulieri male morate pulchritudo. » Sic et Salomon: « Circulus aureus, inquit, est scientie ornamentum, quod instar suis cœno immergit, qui illud immunda actione sordidat. Hujus enim anima pulchra est per scientiam, sed fatua per actionem. »

Rursus, mulier fatua et pulchra est anima fidelis, in baptismo vel penitentia a peccatis abluta et dealbata, que deinde pristinis cupiditatibus illecta ad eas redit, cum eisque quasi amissis scortatur, sicut suis laute redeunt ad lutum, juxta illud S. Petri, *epist.* II, cap. iv, vers. 22: « Contigit enim eis illud veri Proverbi: Canis reversus ad suum vomitum; et: Sus lota in volutabro luti. » Ubi multa hæc de re dixi. In his enim circulus aureus, quo eos diaboli apprehendit, circumagat, et ad solita scelera reduci, est veterum amorum recordatio, viva voluptatum præteritarum representatio, ac dulcedinis illecebrosæ memoria. Hanc enim excitat acutique demon, præsertim in agone mortis; quo fit ut multi tunc per delectationes morosas peccent et damnentur. Qui sapit ergo, dum vivit et viget, hæc species et illecebras e mente aboleat per contrarias imaginationes, orationes, meditationes virtutum et rerum divinarum, præsertim Passionis Christi, qua nihil est efficacius.

Huc facit apophthegma R. Josæ in *Cirke Avoth*, id est in *Capitulo Patrum*: « Quotidie vox quadam de monte Horeb exibat, non obscure inten-

tans vā hominibus illis per quos legi damnū infertur, aut injuria; quia vero quicumque negligenter incumbit in studium legis, is prorsus reprobus est et infelix, sicut dicit Scriptura: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.»

Denique Salvianus, initio *Lib. IV de Gubern. Dei*: « Quid est aliud, inquit, principatus sine merito? sublimitas nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? quid est aliud vocabulum sanctum sine merito, nisi ornamentum in luto? Circulus aureus, ait Sapiens, in naribus suis, mulier pulchra et fatua. Et in nobis itaque Christianum vocabulum, quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur.»

23. DESIDERIUM JUSTORUM OMNE BONUM EST: PRÆSTOLATIO IMPIORUM FUROR. — Chaldeus, *desiderium justorum ad bonum est, expectatio impiorum ad furor*: Hebraice, *justorum desiderium tantummodo bonum est; expectatio autem impiorum furor*, sive *ira penetrans*; Septuaginta, pro *עבר עבר*, id est furor, alii penitus legentes *עבר עבר* *abera*, id est transiit, vertunt, *sicut apertum impiorum transitit, id est peribit*; Scholiastes, *abscedet*. Est metonymia: *desiderium* enim vocatur *res desiderata*, sive id quod desiderant justī; *præstolatio impiorum* est id quod præstolantur et expectant impij.

Sensus est, q. d. Desiderium justorum fertur ad omne bonum, id est ad omne honestum, ad omnem virtutem; justī non desiderant aliud quam operari bonum. Ita Polychronus in *Catena Græc.* Impij vero præstolantur et expectant, ut furiose se gerere possint, ut iram et furorem suum in alios evomant; ira enim, qua quis modum excedit, vocatur *עבר עבר* *ebra*, id est furor, quia limites rationis *עבר* *abar*, id est transgreditur, ait Aben-Ezra. Aut, ut alii, quia omnia pervadit, inflammant et vastat instar ignis. Unde Baynus, et ex eo nosler Salazar vertunt, *cupido impiorum omnis bona est*, sicque explicant: Justī nil concupiscunt nisi benefacere, ac ubi potestas deest, cupiditas benefacendi adest et acuitur; e contrario *impiorum præstolatio*, id est expectatio et desiderium, est furor, id est impiorum vota longe diversum est studium; nam præstolatio eorum furor. *Præstolatio* hic sumitur etiam pro desiderio, nimirum impiorum vota ex furore et ira profecta aliorum perniciem avidissime exoptant. Itaque quemadmodum pii ac justī homines plura bona conferre desiderant quam impendunt, et quod deest facultat, votis compensant: sic etiam impij plura mala inferre cupiunt quam inferunt, et maliciandi facultatem desiderio concendi longe superant; atque ideo majoribus penis se subjiciunt, quam illa sunt quæ damnis illatis responderent. Hinc illud: «Tota vita justī est boni desiderium,» quia non nisi bona agere desiderant, non nisi bonum esuriunt et sitiunt, juxta illud: «Beati

qui esuriunt et sitiunt justitiam,» *Matth.* «*Salus fuit Daniel, qui proinde vocatur vir desideriorum*, ideoque meruit intelligere 70 hebdomadas adventus Christi, *Daniel. cap. ix. 23, et cap. x. 19.* Vide S. Bernardum, *epist. 10*, ubi mirer velle ait: «*Desiderium peregrinationis in plenitudinem commutabitur dilectionem, etc.* Sicut autem fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem (1).»

Propologice, ex hac gnome discere praxim faciem crescendi in omni virtute et merito esse, si crebra et ardentia eorum desideria concipias. Per hæc enim virtutem quamlibet, etiam quam exterius ob pauperem non possumus, interioris in animo concipimus, firmamus, augemus. Verbi gratia, pauper habens efficacem ingenique desiderium faciendi elemosynam, si opes haberet, acquirere virtutem elemosynæ, ac per illud tantum vel plus meretur, quantum dives, qui ex consuetudine dat elemosynam. Infirmus, qui jejunare vel cilicia ferre nequit, desiderat hoc facere. Religiosus, certo officio ab obedientia alligatus, desiderat cætera omnia que alii obire, obire desideret efficaciter concionari, docere, audire confessiones, visitare infirmos, Indis predicare, etc., si liceret, illaque Deo offerat: nam Deus hæc desideria ita grata habebit, ac si ea opera completeret. Id ita esse docet S. Paulus, *II Cor. vi. 12*. «*Si enim, inquit, voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet;*» his verbis nobis significans Deum magis promptam voluntatem, quam donum ipsum spectare. Hujus ratio est, quia elemosynæ et aliorum cujusvis virtutis perfectio et meritum in voluntatis promptitudine, non item in multitudinis operumque magnitudine consistit. Unde S. Augustinus in *Psal. cv*: «*Bonam, inquit, Deus voluntatem coronat, quando non invenit facultatem.*» Et S. Bernardus, *epist. 77*: Deus, ait, indubitanter tribuit bonæ voluntati, quod deest facultati. Causam a priori dat S. Thomas, *I II, Quæst. XX, art. 2*: «*Quia, ait, tota formalis bonitatis operis exterioris pendet a bonitate actus interioris, quia a voluntate alicujus.*» Unde sequitur, si Deo placere appetimus multumque promereri, frequenter pia desideria concipiamus bona præstandi opera, nec non bonas intentiones applicandi, non solum operibus que facere intendimus, verum etiam illis que facturi non sumus, non quidem bonæ voluntatis, sed facultatis defectu. Quo hæc bona voluntatis promptior fuerit, eo uberiorem prodebet spiritualium pro-

(1) Juxta Maurer sensus est: Prohibe meri felicitas ebrietas, impiorum pena. *Desiderium et expectatio*, ait, pro *vestitu* sicut desiderii et spet. *Insomniamus: Audi nihil cupiunt quod bonum non sit*, hæc veterum competes sunt; *expectatio impiorum* non solum frustra erit, verum et in e. desinet, ut *indignationem Dei* vehementissimam experiantur.

ventum segetem, teste D. Bernardo. Tantum meritis quantum vis; et bona crescente voluntate, crescit pariter et meritum.

Synbolice Lyranus: *Iustorum desiderium est omne bonum, hoc est ipse Deus, in quo eminentior est omnis bonus, quique est bonus et bonum per essentiam.* Unde Christus interpellatus a quodam dicente: «*Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?*» Respondet: «*Quid me interrogas de bono? unus est bonus Deus.*» Et David: «*Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitiit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?*» *Psal. xli. 2.* S. Bernardus, *serm. 84*, explicans illud *Cantic. iii*: *In tabulo meo per noctes quasi, quem diligit anima mea.* «*Magnum bonum, inquit, quære Deum.* Ego hoc nulli in bonis anime secundum existimo. Primum in donis, ultimum in profectibus est; virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat? quam nulla præcedit. Cui præcedat? que omnium magis consummatio est; que enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, aut qui terminus quærenti Deum? Quære, inquit, faciem ejus semper. Existimo quia nec, cum inventus fuerit, cessabitur a quærendo. Non potum passibus, sed desideris quærenti Deus. Et atque non extrahit desiderium sanctum felix invento, sed extendit. Numquid consummatio gaudii, desiderii consumptio est? oleum magis est illi: iam ipsum flamma. Sic est. Adimplebitur lacrima, sed desiderii non erit fias, ac per hoc nec quærendi.» Idem, *tract. De Dilegulo Deo*, agens de complexu sponsi et sponse, puta Christi et anime sancte: «*Hinc, inquit, illa sœtetas sine fastidio. Hinc insatiabilis illa sœt iniquitudo curiositas. Hinc æternum illud atque inexplicabile desiderium nesciens egestatem. Hinc denique sobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans; non madens vino, sed ardens Deo.*»

Anagogice, desiderium justorum tendit ad bonum, puta ad beatitudinem cœlestem, que est complexio omnis boni. «*Præstolatio impiorum furor*, id est, id quod præstolantur impij, sors que illis obventura et expectanda, est furor, id est Dei ira et vindicta in gehenna, usque ad internam non tantum corporis, sed et anime penetrans, comburens et crucians. Ita R. Salomon, *Hago, Dionysius et alii.*

Unde S. Bernardus, *serm. 3 in Vigilia Nativit. Domini*: «*Desideria nostra, inquit, in tribus maxime constituta videntur, quod decet, quod expedit, quod delectat.*» puta triplex desiderium est, boni honesti; Noni utilis, boni delectabilis. Atque hoc docet in ordo duntaxat implendum; ibi enim est a summum bonum, inquit, summa utilitas, summa gloria, summa voluptas. Atque hæc quidem interim expectatio nobis nostra est, et promissa nobis visio majestatis, ut ait Deus

omnia in omnibus, omne jucundum, omne utile, omne honestum.» Idem in *Sapientia*: «*Trifloræ, inquit, est desiderium electorum. Unanimiter habitare in domo. Unde est: Unam petii a Domino. Victorem obtinere de mundo. Unde est: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Presentialiter frui Deo. Unde est et aliud: Cupio dissolvi, et esse cum Christo.*»

24. ALII DIVICENT PROPRIA, ET DIVITIOS FIENT; ALII RAPIUNT NON SUA, ET SEMPER IN EGESTATE SUNT. — Hebraice, *est sparsor, et additior ullius; est prohibens a rectitudine, verumtamen ad defectum* (1); *Vatablus, est qui dispergit rom, et augetur res ejus magis; et qui parit vel sua plus agno, sed ob inopiam, id est, sed penuria et egestate opprimitur.* Noster *prohibens a rectitudine* accipit pro eo qui recedit a justitia, facitque injusta, ut opes accumularet; unde verit, *alij rapiunt non sua; Septuaginta, sunt qui propria seminantes* (Aquila, Symmachus et Theodotion, *dispergentes plura faciunt; sunt autem qui congregant aliena, addit Ancor Chaldeus Græc.) minuuntur; Chaldeus, est qui dispergit, et rursus addit et; indignitas erit ei qui recedit a rectitudine; Syrus, est qui seminat sua, et multum introduct; est qui non sua congregat, et medicum est illi. Syrus ergo nostro consentit.*

Sensus est huius. Opponi enim liberaliam avaro: quod liberalis sua distribuit, in omnes sit beneficus, multasque faciat elemosynas, et tamen inde non fiat pauperior, sed ditior; avarus vero recendens suas opes, easque augens et accumulans per fas et nefas, per fraudes, usuras et injustos contractus, quibus rapit aliena, inde tamen non evadat ditior, sed pauperior. Rationem *sentiantes*, ut vertunt Septuaginta. Elemosyna enim et beneficentia est quasi seminatio. Sicut enim agricola, qui jact semina, pro uno grano vel modio recipit viginti, triginta, imo subinde sexaginta et centum, dum copiosam colligit messem: sic pariter beneficus spargens suas opes in egenos, jact quasi semina, ex quibus multiplicatis magnam cum ingenti lenore a Deo percipit bonorum tum temporalium, tum spiritalium abundantiam. Avarus vero similis est hœro, qui frumentum in granario recondit, ubi illud situ contrahitur, corrumpitur, a muribus corroditur, itaque senim minuitur, nullumque dat fructum: sic enim et avari opes reconditæ Deo maledicente sensim perunt, minuitur et consumuntur. Hoc est quod docet S. Paulus, *II Cor. ix. 6*: «*Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*» etc., ubi plura hæc de re dixi. Vide et S. Chrysostomum, *hom. Quod elemosyna sit ars omnium questuossissima.* Exempli plura hu-

(1) Clarus, *est qui dispergit, largitur distribuit, liberalis est, et augetur opibus etiam, et est qui parvus est plus justo, tantummodo ad egestatem. Pro parvus plus justo, hebraica verbi utique possunt, *chilbens se a rectitudine*, id est, misericordie et caritatis officia.*

Jas rei reperies apud Leontium in Vita S. Joannis Eleemosiarii Patriarchae Alexandrini. Igitur hoc est fidelium paradoxum, sed divinum et verissimum: « Eleemosina dilata, tenacitas depauperat; quod das, acquiris; quod relinques, perdis; erogando opes accipimus, condendo imminuis. » Haec sententia, uti et aliae, significat, non quid semper, sed quid saepe fiat; nam subinde videmus contrarium fieri, scilicet avaros ditari, liberales depauperari: sed tunc Deus pauperiem temporarium ubertate spiritualium donorum compensat. Ita Basilius in *Catena Graecorum*.

Hanc raptorem vesaniam infelicitatem graphice hoc lupi et bovis apologo representat Cyrillus, lib. III *Apolog. mor.* cap. xv: « Vagabundus otio lupus rapax, cum cerneret bovem post jugum laboris ac commodi, in eibum falce lingue herbas demetentem, mox ad eum veniens, dixit: Quid est hoc, quod tam validum animal acutisque cornibus armatum, non solum ab homine jugum toleras gravissima servitutis, sed, quod deterius est, post tam gravis laboris onus, vivis edulio vilitatis? Certe si supra artem doli vigoremque dentis, mihi tantam naturam validitatem dedisset, etiam sine labore, ita bonis carnibus vescerer, ut aelli etiam esum dignarer. At haec bos, ruminata sententia, dicitur respondisse: O si innocentiae bonum, mansuetudinis fructum, equitatis commodum, pacisve decus libra rationis appenderes, et hostilis rapacitatis reatum diligentius circumspicere liberes; videres atque quante calamitatis sit servire hostiliter, ac rapaciter vivere, cum nequissima vita misere juvenutis sit lues. Nam cum male vivitur, virtutis nobilior vita vera perimitur; et ea quae relinquuntur vita, cum in ea vivitur vitalis calamitas, nequior mors efficitur, et sic vera vita per semetipsam damnatur. Quid igitur gloriaris, quod otiose rapacitatis vivis malitia? » Unde concludens subjicit: « Omnis namque furis est mens immundissima, discordia amica, felicitas voluntas, civilitas aemula, ferocissima vita. Ferre ergo jugum suavissimum onus virtutis est mihi, et tempestiva libertas in praedictum aliorum, ac servitiositas vilitatis sit tibi. Sic tempore carius est mihi comedere fenum de labore justitiae, quam hedum de seclere avaritiae violentum. Quo audio, lupus confutatus discessit. »

21. ANIMA, QUAE BENEDICIT, IMPINGUABITUR; ET QUI INEBRIAT, IPSE QUOCUMQUE INEBRIABITUR. — Hebraice, *anima benedictionis impinguabitur; et irrigans etiam ipse irrigabitur*, id est, *pluvia est*, id est, ipse aliis beneficiando pluviam frugibus suis, ut laetissimae et copiosissimae evadant, inducit. Sua enim beneficentia meretur ut Deus pluvia suis frugibus impluat, omniaque ejus bona fortunet, prosperet et multiplicet. Ratio est, quod Deus det opes dignis; opibus autem dignus est, qui iis uti novit; iis autem bene uti norunt, qui benefici sunt, easque in egenos dispensant. Noster, aequae ac alii apud

Paganinum in *Lexico*, פרוי *iore* per metathesin accipiunt pro פרוי *irruo*. <sup>21</sup> Et irrigabitur et inebriabitur; hoc enim ex aequo respondet *irrigabitur*, id est, qui irrigat et inebriat. « Inebriat, » id est affluenter largitur elemosynam; sic christus sumitur pro satietate, copia et affluentia, *Psalm.* xxv, 9; *Cantic.* v, 1; *Proverb.* v, 49. Est metonymia: ponitur enim effectus pro causa; ex copia enim rerum sequitur ebrietas. Unde verit: « Et qui satiat pauperes, ipse satietur, » quia, ut dicitur cap. xiv, vers. 17: « Generatur Deo qui miseretur pauperis, et visisitudinem suam reddet ei. »

Aliqui *irrigabitur* proprie accipiunt pro *benefit precatur*, q. d. Qui aliis bona apprecatur, huic vicissim alii bene precatur, ac Deus ipse benedicit. Verum hoc arctius est: « benedicit » ergo, id est beneficiative bene precando, sive sua erogando, sive consilia suggerendo, sive docendo, sive quo alio modo. Dat causam ejus quod dixit vers. praeced.: « Alii dividunt propria, et ditiores fiunt, » nimirum quia qui aliis benedicit, id est benefacit, hic a Deo impinguatur et dilatur bonis, tam spiritualibus quam temporalibus; et qui alios suis opibus satiat et quasi inebriat, hic vicissim a Deo inebriabitur, id est abunde locupletabitur. Alludit ad fontes et flumina; quoniam enim aquarum e fontibus inferne defluit, tantum superne in eos influit; ac quantum apertis cataractis flumina deplunt, tantum superne in eadem impluit. Beneficus enim et elemosynarius est instar fontis et putei, qui jugiter beneficia scaturit, ebullit et effundit, ut docet S. Basilius in illud *Lucae* xii: « Desirum horrea mea. » Unde Chrysostomus, homil. 23 in *Acta*: « Fontes, inquit, ex quibus irrigua ducitur aqua, in summis locis debent oriri. Igitur simus et nos animo sublimis, et statim misericordia diffinet. Non enim potest fieri summam animam et divitias contententem non etiam misericordem esse, » juxta illud: « Sorsum divinarum fluminum fontes. » Aliam similitudinem uberem adhibet Clemens Alexandrinus, lib. III *Pedagog.* cap. vii: Sic, inquit, ad ubera, quae suguntur vel munguntur, lac solent confluere, sic et opes conflunt ad eos qui erogant illas. Quocirca B. Petrus Chrysologus, *serm.* 104: « Esto, inquit, dives in misericordia; si semper esse vis dives. Et tunc erunt horrea tua majora, tunc plena, si non fuerint largitate vacua, cupiditate inclusa. »

Porro haec gnome magis in spiritualibus quam in temporalibus bonis locum habet, ut experientia docet. Unde Chaldaeus pro qui inebriat, ipse inebriabitur, verit, qui docet, etiam ipse addiscet. Ita videmus doctores, concionatores, confessorios, etc., qui sua Spiritus Sancti charismata in alios liberaliter effundunt, copiosius iisdem a Spiritu Sancto rigari et inebriari; ac quo ipsi in proximum Dei amore liberales sunt, eo vicissim Deum in se liberaliorem experiri. Unde S. Gre-

gorius, III *Pastor.* cap. xxvi, *irrigabitur* *anima* quae benedicit, ipsa impinguabitur, sic explicat: « Qui enim praedicando exterius benedicit, interius augmenti pinguedinem percipit; et dum vino eloquii auditorum mentem debriari non desinit, potus multiplicati numeris debriatus exerescit. » Huc facit Beda in *Collectaneis*, qui inter tria aenigmata hoc *primam* proponit: « Quae est illa mulier quae innumeris filiis ubera porrigit, quae quantum sueta fuerit, tantum inundat? » ac respondet: « Mulier ista est sapientia. » *Secundum*: « Ubi est anima hominis, cum dormiunt homines? In tribus locis, aut in corde, aut in sanguine, aut in cerebro. » *Tertium*: « Qui sunt tres amici et inimici, sine quibus nemo vivere potest? Ignis, aqua et ferrum. »

Mystice, *irrigabitur* innuit elemosynarium esse sacerdotem mysticum, qui egenis benedicit ore, et magis manu. Sic Paulus docet, II *Corinth.* cap. ix, vers. 12, elemosynam esse sacrificium, cuius vicinia sint opes erogatae, altare sint pauperes, sacerdos sit elemosynarius, immolatio sit erogatio, distribuens eas, v. g. Paulus, sit Diaconus. Fusius idem docet S. Chrysostomus, hom. 20 in *epist.* II ad *Corinthios*.

Porro Septuaginta prorsus alio abeunt, planeque dissident ab Hebraeo, Chaldaeo et Latino; sic enim habent, *beneficentia omnis anima simplex; vir autem animosus non est formosus; vel, ut Auctor Catena Graecorum, vir autem iracundus est in compositus; alii, indecorus, vel inhonestus; hoc enim est Graecum *indecorum*, quod S. Chrysostomus, hom. 17 in *Joan.*, sic exponit, q. d. Anima sincera doli et simulationis experta, aequae ac modesta et mitis, est benedicta caraque Deo; at vir animosus, sive iracundus, non est formosus, nec decorus: quia indecorum et turpem vultum, indecoros clamores, indecoras irae actiones et gestus induit. Turpitudinem hanc vultus in ira pulchre representat S. Basilius, hom. *De Ira*. Denique Syrus per antithesin verit, *anima, quae benedicit, benedicitur: quae maledicit, maledicitur*.*

26. QUI ABSCONDIT FRUMENTA, MALEDICETUR IN POPULIS; BENEDICTIO AUTEM SUPER CAPUT VENDENTIUM. — Hebraice, *prohibentis frumentum maledicet ei populus; S. Ambrosius, lib. III Offic. cap. vi, captans pretia frumenti in plebe est; Aquila, maledicent eum populus; Symmachus et Theodotion, maledictus a populo; S. Chrysostomus, hom. 39 in epist. I ad Corinthios, qui frumenti auget pretium, est populo avaritius; Septuaginta vero, qui continet frumentum, relinquat illud nationibus; et Chaldaeus, qui prohibet frumentum in necessitate, illud habitibus suis relinquet. Solent avari tempore famis frumentum abscondere, vel etiam coemere, ut crescente fame carius illud vendant: quo fit ut crescat frumenti pretium, ac pauperes famem patientur, et subinde fame eocentur. Quod sane est inhumanum, ac peccatum grave contra charita-*

tem et justitiam legalem. Illud ergo hic insectatur Salomon. Qui id faciunt, flagellatores ammonie, et Dardanarii vocantur, a Dardano quodam qui annoam supprimebat, ut cavus venderet, contra quos Ulpianus in leg. *Annonam, de Ectroard. criminibus*. Ets. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 13: « Quid ad haec, inquit, dicemus, qui frumentum emittunt et vendunt, ac temporum difficultates obsecramus, ut opes nobis commoverent, et in aliis calamitatibus delicias capiamus, atque nos, ut Joseph Aegyptiorum facultates majoris dispensationis causa (utrumque enim norat, nivirum et recte colligere, et recte annonam trituere; quemadmodum etiam et famem prospicere, et eminus ei obistere); sed ut iniqui et conscelerati popularium nostrorum opes acquiramus? »

Et Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist.* 81: « Inexplebilem, inquit, quemdam ac severum et crudellem Dardanarium, hoc est frumentum caponem, te esse nonnulli aiunt; ut qui tempora observes, ac de egestatis occasione luertandi arripas, et de calamitatibus messem colligas, Quomorem hoc tecum repugnes, alios non tam tan, quam te Dei opes indigere, fac te cognatio moveat. » Et Apollonius frumentarius, *epist.* 85: « Terra, ait, mater est omnium; justa enim est. At vos, cum iniusti sitis, vestram duntaxat matrem caeco effecistis, et nisi destiteritis, perditionem ut volis in ea consistere non liceat. »

Uberius et nervosius S. Ambrosius, lib. III *Offic. cap. vi*, vitii hujus enormitatem exaggerat: « Cur, inquit, ad fraudem convertis naturam indulgentiam? cur invides usibus hominum publicos partus? cur populus nimis abundantiam? cur affectus inopiam? cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia sterilitatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscent, fies publicum fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando sterilitas proventus sit, quando exilior partus, volis tuis gaudes arrisisse maledictum, ut nihil usquam nasceretur. Tunc messem tuam vocas laticis, tunc tibi de omnium misera congruis opes; et hanc tu industrian vocas; hanc diligentiam nominas, quae calliditatis versutia, quae astutia fraudis est? et hoc tu remedium vocas, quod est contentum nequiae? Iatrocinium hoc an nonus appellem? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. » Et inferius: « Recte igitur Salomon: Qui continet, inquit, frumentum, relinquat illud nationibus, non hereditibus, quoniam avaritiam emolumentum ad successorem jura non pervenit. Quod non legitime acquiritur, quasi venis quibusdam ita extraneis diripientibus dissipatur. Et addit: Captans annonam maledictus in plebe

est; benedictio autem in capite ejus qui participat. Vides ergo quod largiorem frumenti esse deceat, non pretii capostator. Non est igitur ista utilitas, in qua plus honestati de fructu quam utilitati adiungitur.

Memorabile est quod tradunt Trithemius, Cocheleus, Genebrardus, Munsterus, Demochares et alii quos citat Moser Serarius, lib. IV *Moguntiac. Hierum*, cap. 1, de Habbone Archiepiscopo Moguntiaci, sub anno Domini 970, eum scilicet avaro condidisse frumenta, ac pauperes vocitasse mures, eosque quasi mures fame perire permisisse; ideoque iusta Dei vindicta a muribus invasum, ad turrim, quae etiamnum in medio Rheni visitur, et *Tarris murum* appellatur a multis, confugisse, ibique a muribus insequentibus peremptum esse et devoratum. Esto Serarius ibidem contentum historiam hanc esse fabulam. A dardanariis Stratenibus occisus est, anno Christi 1127, B. Carolus Comes Flandriae, filius S. Canuti regis Danie et martyris, eo quod eorum avaritiae obsteret, eosque cogeret tempore famis frumenta dividere; locus necis nihil ostensus est Brugis Flandrorum, ubi quasi martyr colitur; sanctitatem enim ejus deus miraculis pluribus declaravit, et caesores ejus gravi ultione metavit. Ita Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgii*, die 2 martii, et Aimonius, lib. V *De Gestis Francor.* cap. v. Exstat Vita ejus recens, impressa Parisiis, anno Domini 1615.

Porro dardanarios, quia communem victum occupando famem concitiant, velut civium pestes populus execratur, et diis devotet, ac non raro tumultu facto depraedatur, imo occidit et discerpit. Notanda versio Septuaginta et Chaldaea, qui continet frumentum, relinquit (Chaldaeus et auctor *Catena Graecor.*, relinquit, in futuro) illud nationibus. Quibus verbis Salomon optat, vel praedicit frumentum avaro servatum ab avaro distributum iri in populos: hoc enim meretur avari avaritia, hoc pariter poscit frumenti conditio: ad hoc enim illud condidit Deus, ut eo alantur populi et pauperes. Auctor *Catena Graecor.* legit, qui frumentum detinet, gentibus et infidelibus illud relinquitur competitur; ac per gentes accipit demones, qui avarorum sunt heredes, eorumque bona invadunt et dissipant. Atque mystice sic exponit: «Frumentum est verbum Dei, quod, dum iudei abdere contendunt, datum est Gentibus fœ gentibus iustitiam ejus. » Ita revera sepe accidit iusta Dei vindicta, uti docet S. Chrysostomus, hom. 39 in I *Corinth.*: « Multi, inquit, etiam integra dolia exinanierunt, et nec acetum quidem dederunt gentibus; acetum tamen ex vino factum totum humi jecerunt, et dolia sua simul cum vino corruerunt. Abi autem rursus, cum ne olla quidem esulentem impercerent, integras frumenti capias in fluvium projecerunt; et quia Deum non audierunt jubentem dare egenis, jubente circione vel in viti quiddam erat intus, effuderunt ad exitum et extremum interitum: multum quidem risum et

multas execrationes simul cum hoc damno in caput suum attrahentes. Ipsi autem nequaquam impunes abeunt. » Addit enim Chrysostomus: « Sicut enim isti a circione exsum, et inutile redditum frumentum in fluvios jaciunt: ita eos qui hoc fecerunt, propter hoc ipsum factus inutilis projiciet Deus in fluvium ignis. Sicut enim frumentum circulo et vernis, ita iustorum animas exellit crudelitas et inhumanitas. » Circulo est animal parvum frumentum corrodens, ejusque medullam exedens: dictum circulo quasi gurgulio, eo quod in eo nihil peno aliud videtur quam guttor, ait Varro.

BENEDICTIO AUTEM SUPER CAPUT VENDORUM. — Septuaginta, in capite ejus qui communicat; S. Cyrilianus, in capite ejus qui participat, id est in caput ejus qui alios suorum opum participes efficit; Auctor *Catena Graecorum*, favor autem et benedictio super caput distribuens, quasi dicens: Tempore famis distribuens frumentum. Dei et hominum gratiam, favorem et benedictionem nanciscitur: omnes enim ei benedictum et applaudunt, omnes eum laudant et celebrant.

Mystice S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. XXVI: « Frumenta abscondere, inquit, est predicationis sancte apud se verba retinere; in populis autem talis quisque male dicitur, quia in solus culpa silentii pro multorum, quos corrigere poterat, pena damnabitur. » Ipsissima S. Gregorii verba transcribit Salomonus, et adnectit: « Illi vendunt frumenta, qui verba vite suis auditoribus annonfiant. Quod pretium accipiunt ab eis? Pretium fidei et confessionis sanctae. Quomodo veniet benedictio super eorum capita? Quia singulis eorum dicitur est Dominus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. » Haec Salomonus. Eadem aut verbum habet Beda; unde ex Beda haec et alia nonnulla descripsisse videtur Salomonus. Beda enim fusior est, et Beda stylum haec reddent. Quocirca Salomonus hic non videtur esse ille priscus discipulus Salviani, et filius S. Eucherii, qui postmodum creatus est Episcopus Lugdunensis sub anno Domini 440; nam Beda S. Eucherio fuit longe posterior; floruit enim sub anno Domini 730. Alius ergo hic Salomonus sit oportet.

27. BENE CONSURGIT DILUCCLO, QUI QUERIT BONA; QUI AUTEM INVESTIGATOR MALORUM EST, OPPRINETUR AB EIS. — Pro *consurgit diluoclo* hebraice est *יורד שחוקח*, id est aurorans, diluoclo, manicans, id est mane consurgens, mane quarens, mane aliqui faciens; mane enim solent homines res suas requirere, ac negotia sua peragere. Pro *bene* hebraice est *טוב* *tob*, id est bonum neutrum, vel bonum masculine, ut vertit Aquila, Aben-Ezra, R. Salomon et R. Levi. Sed Noster adverbialiter accepit *tob* pro *טוב* *latob*, id est ad bonum, id est bene; vel simpliciter *tob* accepit masculine, quasi dicat: « Bonus aurorans est, id est bene consurgit diluoclo, qui querit bona. » Sensus ergo est,

g. d. Qui mane, dum surgit, concipit, vestigat, querit et destinat opera bona quae per decursum solis diei peragat, hic utique bene consurgit, quia sibi parat et parat magna merita, quibus Dei hominumque gratiam sibi conciliat; unde Hebraea habent, *quarens mane bonum, querit beneplacitum, vel bonam gratiam*, ut vertit Aquila et Septuaginta; qui autem investigator est malorum, id est qui mane cogitat, machinatur, vestigat mala quae per diem operetur, hic utique male consurgit, quia ad malum suum: nam mala, quae machinatur, in caput ejus recidunt, eumque opprimunt: sicut Saul, quarens Pythionissam, ab ea nuntium cladis et mortis accepit, ait Lyranus (1). Unde Aquila clare vertit, *matutina consurrectio boni querit gratiam bonam, q. d.* Cum vir bonus mane consurgit, querit operari bona, quibus gratiam Dei et hominum demeratur; et Chaldaeus, *qui consurgit diluoclo ad bonum, querit beneplacitum; qui querit malum, veniet super eum*; Syrus, *qui querit bonum, querit beneplacitum; Septuaginta, fabricans bona querit bonam gratiam, Dei et hominum; exquirentem mala, comprehendat eum.* Quod explicans auctor *Catena Graecorum*: « Per eos, inquit, qui bona in corde fabricant, illos designat, qui ea suggerunt quae ad bonum inducunt; et illos rursus, qui disciplina indigentes incitant, ut eam capessant; tales enim accipiunt gratiam a Domino. »

Porro noster Salazar haec, uti et plura alia hoc capite, arguit ad eleemosynam et beneficentiam. Unde sic explicat: « Bene consurgit diluoclo, qui querit gratiam, » ille scilicet, qui beneficiis ac donis liberalibus gratiam aliorum mire contendit; « bene, » id est non frustra, non in vanum, non gratis, aut sine mercede, diluoclo consurgit ad beneficia collocanda. Mane autem surgere ad donandum, ad opportunitatem referendum est. Nam opportunitas beneficia atque munera auget plurimum; donum quippe cito ac tempestive collatum duplex quodam modo est (ut alibi diximus). Contra vero: « Qui investigator est malorum, opprimetur ab eis. » Haec pars cum superioris sic consensu est: illi scilicet, qui non beneficia, sed mala aliis inferre parat, secus accidit, nam mala, quae aliis intendit, in ipsum eventualiter redibunt.

Haec expositio est apposita, sed arctior, nec adaequans mentem Salomonis; Salomon enim loquitur de quolibet bono et de quolibet virtute. Multi enim sunt pauperes, qui eleemosynam facere nequeunt, et tamen hi bonum aliud mane destinare, ac per diem operari possunt et debent. Rursus sapientis est mane vacare non tam eleemosyna, quam sapientiae et Deo per orationem, meditationem et studium, uti monuit Salomon cap. vii, vers. 34, et Moses *Deuter.* vi, 7, ac David

dicens: « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, » *Psal. LXXII*. 2. Unde Doctores mane docent, et discipuli mane peragat et scientias; mane enim maxime viget mens et ingenium. Quocirca Pagninus vertit, *qui querit bonum, querit quod placitum est Deo; et qui querit malum, veniet ei.* Sic et Vatablus. Illic et R. Salomon sic vertit et explicat, *vigilator bonus, qui in vinctum iter nocturnas deducere studet, eosque arguit et instituit, hic querit bona, id est benevolentiam divinam sibi demereri expetit*; Tigurina sic vertit, *qui mature consolatator bonum, invenit quod desiderat; qui autem nullum querit, eveniet ei.* R. Levi hoc modo explicat: *Bene consurgit, etc.*, hoc est, qui bonus est, bonumque studioso sectatur. Deo acceptus est, ut bono fruatur; cum enim a Deo ita homo sit constitutus, ut bona anxie appetat, ideo dubio procul optati finis compos erit; qui autem investigator malorum, etc., hoc est, malo opprimetur, qui mala appetit. Secus enim si malo depriverat, res male succedent; quae enim in alios machinabatur, in ipsum recidunt, atque implicabitur reibus, quae in alios occulte pararat. »

Huc accessit Jansenius, qui pro *querit bonum*, legens ex Hebraeo *querit beneplacitum*, id ipsum cum Tigurina accipit de eo quod placitum, gratum et iudicandum est operanti; q. d. Quicumque mane consurgit ad bonum sectandum, is sane felix inquit, quod cum obtinuerit, ipsimet pergratum erit ac volupe; secus ille, qui ex aviditate malefaciendi novas seclerum rationes vestigat; hic enim ob malum, quod tam avide sectatur, tunc cum evenit, dolebit maximo.

Vir ergo bonus et probus ex bonis propositis quae mane concipit, semper quietus et jucundus est, quia bonum et sanctum, ideoque iudicandum et laetum in sanctis operibus transigit diem; impius vero ex malis machinationibus malum et improbum, ideoque tristem et anxium totum agit diem. Significat ergo Salomon, diluoclo cum surgimus, mentem illico elevandam ad Deum, ut illi suggerat et inspiret, quae ipsi placita sunt, ac mentem ex his efformare debere bona proposita virtutum, at Lyranus, v. g. beneficentiae, humilitatis, mortificationis, patientiae, etc., quae per diem obeat; ac quereere modos et rationes, quibus magis placeat Deo, ideoque destinare aliqua heroicae victoriae sui et perfectionis opera, quae ad Dei gloriam illo die exerceat, quibus Deum valde honoret et oblectet, seipsam sanctificet, ac proximis adificet. A propositis enim matutinis, si efficacia et ardentia sint, pendet felix sanctusque totius diei decursus. Unde solent sapientes et virtutis studiosi mane disponere opera totius diei, quid scilicet singulis horis faciri sint, modumque faciendi sibi praescribere, atque omnia deinde Deo offerre, ut illi sint grata, ipseque ea dirigat et prosperet. Ex adverso impii, instigante diabolo, mane machinantur et destinant fraudes et scelera, quae per diem operaturi sunt, quibus diabolus

(1) Maurer, qui sectatur bonum, eo ipso querit et sibi acquirit gratiam Dei et hominum, sed qui querit malum, id ei superveniet.

pascatur, ipsi fiant sceleratiores, ac alios in eadem scelera verbo et exemplo perturbant; sed horum finis est gehenna, illorum beatitudo.

Unde Glossa analogice sic exponit: « Bene consurgit diluculo, qui quærit bona, etc., id est, ad vitam consurgit in tempore resurrectionis, quia nunc bona agit in tempore operationis; qui autem mala que dicit vel agere inquirat, eorum pondere ab alioribus retardatur. » Quocirca Abbas Silvanus in *Vitis Patr.*, lib. VII, cap. XLII (sequor editionem nostri Heriberti Rosweydi), docebat mane de omni virtute esse cogitandum: « Surgens mane, inquit, sumat initium sapientiæ in omni virtute, et in omni mandato Dei, in magna patientia et longanimitate, et charitate Dei, cum humilitate animæ et corporis, in oratione et deprecatione, cum gemitu, cum puritate cordis et oculorum, et custodia lingue, etc. Cogita omni die mortem vicinam esse, et quasi jam clausus in monumento nihil de hoc sæculo cures. Inedia escarum, humilitas et locus non recedat a te. Timor Domini omni hora permanet in te. Hæc ergo, et si qua alia virtus est in his, prospice. » Et lib. V, libello I, num. 8, Abbas Ioannes: « Per singulos dies, inquit, surgens mane de omni virtute sume principium, et mandatum Dei custodi in magna patientia cum timore et longanimitate, in tribulatione cordis et observationis, in oratione multa et supplicationibus, cum gemitibus, in puritate et munditia lingue, et custodia oculorum, injuriam patiens et non irascens, pacificus et non reddens malum pro malo, non attendens ad vitia aliorum, neque te ipsum exaltans; sed esto subditus et humilior omni creaturis; renuntiando omni materie corporali, et his que secundum carnem sunt, in cruciata, in certamine, in humilitate spiritus, in jejuniis, in fletu, in laboribus, incladens te sepulcro tanquam jam mortuus, ut videatur tibi esse proxima mors omni die.

28. QUI CONFIDIT IN DIVITIIS SUIS, CORRUE: JUSTI AUTEM QUASI VIRENS FOLIUM GERMINABUNT. — *Ts virens* non est in Hebræo, sed id Noster subintelligit. Septuaginta vertunt, *qui autem inhæret justis, avertit*. Quod Complutenses vertunt, *orientur*; Romani, *germinabit*; Vatablus, *justi velut arbor frondibus ornata floreant*. Sensus est clarus, *q. d.* Qui spes suas fidenter et arrogantem collocat in suis divitiis potius quam in Deo, ob easque securus et superbus omnia presumat, hic *corrue*; Hebraice *cadet*, scilicet ut folium aridum decidit ex arbore: tum quia divitiæ instabiles sunt, cadunt et pereunt, ut qui hodie est dives, cras sit pauper; qui hodie est Cyrus, cras sit Ius, Iroque pauperior; tum quia divitiæ multis ærumnis et tribulationibus, ac præsertim ire et vindictæ Dei, resistere nequeunt, juxta illud *Ecclesi.* v, vers. 10: « Noli anxius esse in divitiis injustis; non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. » JUSTI AUTEM QUASI VIRENS FOLIUM GERMINABUNT, — quia spes suas in Deo reponunt, qui facit ut ope-

ra eorum instar virentis folii germinet producantque fructus gratiæ et gloriæ, qui perennat in omne ævum; folium enim semper virens, quale est cedri, lauri, palmæ, refert speciem vite immortalis et æternæ, ait S. Ambrosius in *Psalm.* I. Unde Iyranus: *Justi*, ait, sicut folium virens germinabunt, id est, proficiet de bono in melius, sicut ex caudice folii germinat calyculus, ex calyculo flos, ex flore fructus, v. g. pomum, nux, pirum. Unde R. Levi: « Sicut, inquit, sub folio germen enascitur, ita justii in germen se induent, ut proferant fructus, quos a Deo speraverant. » Et Cajetanus: *Justus*, inquit, imitabitur arborem folia proferentem, quia sicut arbor folia virentia, sic ipse innumerabiles filios sue justitiæ imitatores et ascellas progignit. *Justum* accipio in genere pro quolibet justo et sancto; licet noster Salazar more suo justum arctet ad eleemosynarium, cujus folium virens est spes beatæ immortalitatis; ut sensus sit, *q. d.* Sicut arbor veris calore comfota, folia virentia progerminat; sic liberalis et misericors (hic enim nomine justii notatur, ut sæpe alias animadverti), charitatis calore et misericordiæ estu tepefactus, spem pulchritudinis virentibus foliis quasi vernantem. S. Chrysostomus in illud Apostoli, *Oportet semper hæreses esse*: « Sicut radix, inquit, in pingui plantata solo singulis annis tempestivos affert fructus et folia, sic et pecunia in manibus pauperum plantata, non solum in singulos annos, sed etiam in singulos dies spirituales nobis fructus foliaque producit; fidenciam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, conscientiam bonam, lætitiæ spiritualem, spem jucundam, et bona que preparavit Deus diligentibus se. » Hoc est quod ait Paulus, I *Timoth.* cap. vi, vers. 17: « Divitibus hujus sæculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, etc., thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam. » Vide que ibidem annotati.

Alludit Salomon ad illud Davidis patris sui: « *Justus* ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. » *Psalm.* xci, 13. Et illud de justo: « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. » *Psalm.* I, 3. Huc vicissim alludit Isaias, cap. xxxv, vers. 1: « *Lætabitur* deserta, etc., et florebit quasi liliolum. Germanus germinabit, et exultabit læta bunda, et laudans: Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. »

Ubi nota primo: Homo est quasi arbor inversa, cujus radix, id est caput, vergit sursum versus cælum, a quo rationem et mentem accipit; rami, id est pedes, sunt in terra; secundo, impii sunt arbores steriles sine fronde, flore, fructu; justii vero

Arbor  
virtutum  
qualitas

sunt arbores fructiferae, et semper virentes instar palmæ et oleæ; tertio, folia sunt verbum Dei. ait S. Augustinus, in *Psalm.* I, aut, ut S. Ambrosius ibidem, sunt virtutes morales Gentilium; fructus sunt virtutes christianæ et divinæ. Aut, ut Origenes, fructus sunt justitia et amor sapientiæ; folia vero sunt opes et cætera que ad usum vite pertinent. Aut, ut Theodoretus in *Psalm.* I, flores et folia sunt spes beatitudinis; fructus vero est ipsa beatitudo. Simplicius, fructus sunt opera bona charitatis et virtutum in hac vita, ac laudis, gloriæ et confessionis Deo in altera, puta in cælo. Justii ergo velut palmæ semper virent foliis et frondibus, id est virore et vigore animi et operationis, atque modestia, gratia et decore externæ conversationis, qua quasi folia fructus, id est virtutes internas ornant, tegunt, fovent, tuentur, in diesque novas eliciunt et progignunt. Quarto, hæc omnia habet justus, quia velut arbor plantatus est iuxta aquas et fluentia gratiæ, legis et verbi Dei, a quibus rigatur, et perennem succum vitalem sugat. Ita Theodoretus et S. Athanasius ibidem. Hinc quinto, prospere perire agit, quia a Deo regitur et gubernatur. Ita Eusebius ibidem.

Symbolice, arbor vite est Christus in cruce erectus, cujus rami sunt Apostoli virique Apostolici, quin et fideles omnes; agricola est Deus pater, radix est fides et sapientia; folia sunt spes et oratio multiplex; fructus sunt electi qui salvi fiunt, vel fructus est sanguis et aqua ex latere Christi profuens; ut sanguine martyrii, aqua baptismi a se insitutum representant. Fructus crucis locuti in Patriarchis, germinavit in Prophetis, dedit odorem in incarnatione, maturavit in passione, comedit post resurrectionem. Ita S. Chrysostomus in *Psalm.* I: « Funus enim Christi verum est in frenis immortalitatis. » Quocirca hæc hunc Salomonis versum sic explicat, *q. d.*: « Qui confidit in divitiis, etc. hoc est, qui presentibus bonis inhians futura non cogitat, utriusque in novissimo carebit; qui autem spe futurorum præmiotorum bona faciunt in presenti, iuste quod sperni accipiunt. Virens quippe in arbore folium fructus, quos nondum ostendere habet, signat affuturos; et justii quasi virens folium germinant, quia spe salvi facti, in fidei ac virtutum gratia proficere non cessant. »

29. QUI CONTRERAT DOMUM SUAM, POSSIDEBIT (Hebraice, *hæreditabit*) VENTOS; ET QUI STULTUS EST, SERVET SAPIENTIAM. — Hebraice, et servus stultus sapientiæ corde; Septuaginta, *qui non comersatur domi, hæreditabit ventum; et serviet imprudens prudenti*; Græce, *qui non comersatur domum, et convorsatur et faciem se præbere significat*. Posterioris significatum hoc loco exigit Hebræum עֹחֵר *ocher*, id est *perturbans domum suam*.

Jam primo, Syrus sic vertit et explicat, *qui edificat domum suam in opprobrio, relinquit filis suis*

Vari  
etiam

*suspria; qui non congregat in domo sua, dividit ventos filis suis; q. d.* Pater qui opes per usuras, fraudes et rapinas colligit, aut eas dilapidat, hujus patrimonium abibit in ventum, nec filios aliam hereditatem relinquet quam ventum, id est nihilum.

Secundo, Tigurina vertit, *qui perturbat domum suam, ventum hereditatem accipiet; et servus stultus ac sapientem corde transit, q. d.* Herus qui servos et ancillas vexat, oburgat, verberat, fame conficit, hic faciet eos fugaces, ut instar venti ab eo aufugiant, et transeant ad herum prudentem, qui eos clementer et humaniter tractet.

Tertio, Vatablus, *q. d.* Qui perturbat domum, id est, qui dilapidat rem familiarem, tandem nihil est habiturus, et stultus erit servus sapientis corde, id est, quidquid stultus possidet, habiturus est sapiens: bona stulti quasi ab indigno possessore avolabunt ad sapientem, quasi justum sui herum et dominum. Accedit R. Levi: *Vox servi, inquit, fortuosus casus significat, q. d.* Opera laborque virentis in sapientis utilitatem cedat, juxta illud: « Injustus preparat, justus autem crudetur. »

Quarto, Cajetanus, *q. d.* Pater crudelis, sævius non filios, privat se potestate patriæ in filios, vel quia filii ab eo aufugiunt, vel quia principes eos potestate tyrannica patriæ eximit: vice versa, pater sapiens filium insipientem et protervum humanitate suam in suam redigit potestatem.

Quinto, auctor *Catena Græcæ*, ex Septuaginta sic vertit, *qui domum suam se faciem commodumque et comen non habet, ille possidebit ventos; qui autem mente caret, serviet prudenti, idque sic explicat: « Qui de quolibet domestico incommodo incandescit (ira exarscit), lligat, vociferatur, etc.), extorsit tandem a patriâ fiet, et ab aere intemperie humillabitur; debet autem commodus frugique paterfamilias omnibus, quoad ejus fieri potest, sese accommodare; debet, exempli causa, uxori tanquam vasi infirmiori nonnulla indulgere, illique in quibus licite valet, gratificari; debet, ne levi de causa filios in iram, aut animi tristitiam concitavit, summo opere cavere; debet fratres egestate pressos ore et auxilio sublevare; debet servis justitiam et æqualitatem administrare; debet prestare omnibus quod æquum et justum est prætare, enixeque ut omnia hæc faciat, contendere. Per ventum autem accipere licet animi agridudinem ex intemperata ira natum. Stultus autem serviet prudenti, nam prudentia valens dat operam, ut insipientes ad se attrahat, et insuum usum convertat. »*

Secundo et genuine, *q. d.* Inspientes et stultus, qui domum, id est familiam, suam perturbat, sive litigis et rixis maleque administratione eam vexando et dissipando, sive quia et luxuria dilapidando rem familiarem, hic hæreditabit ventum, id est, ad nihilum extremamque inopiam redigetur, ideoque ipse quasi stultus cogetur servare sapienti, qui res suas ac redditus fundosque admi-

distret, ut eos in integrum vel ex toto, vel ex parte, restituit, juxta illud *Ecclesi. x, 28*: « Servo sensato liberi serviet. »

Simili modo Aristoteles, *I Polit. cap. III et IV*, ascribit sapientum esse regere, insipientium vero regi a sapientibus. Et Philo, *lib. Quod deterius poster. inst. d.* « Sapiens, inquit, dicitur Deus insipientis, » juxta illud Dei ad Moysen: « Constitui te Deum Pharaonis, » *Exod. vii, 1*. Et S. Gregorius Nazianzenus de sapiente et fidei Episcopo: « Pronubus, inquit, animarum, et, ut ita dicam, Deus est, aliosque deos efficit. »

Mystice Glossa: Stultus servit sapienti, id est, inquit, impius vivit pio: ille damnatur, iste accipit bravium, pro quo certabat.

Tropologica, S. Gregorius, *XX Moral. cap. XIX*: « Dum injusti sevant, inquit, justi purgantur, et utilitati innocentium militat vita pravorum, dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius format. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: Qui stultus est serviet sapienti. Et tamen sepe conspicimus sapientes subesse, stultos vero arcem domini tenere: sapientes servitiles obsequi, stultos tyrannica elatione dominari. Quomodo igitur definitione divine sententiae sapienti stultus servit, dum plerumque hunc jure temporalis domini comprimit? Sed sciendum est quia contra sapientis vitam, dum stultus preeminens terrorum potestatis exorat, dum hunc laboribus fatigat, contumelias lacerat, profecto hunc ab omni vitorum rubigine urendo purgat. Stultus ergo sapienti etiam dominando servit, quem ad meliorem statum premendo prohibet. Sic nonnunquam pupillis dominis ad disciplinae magisterium servi presunt, terrent, premunt, ferunt; et tamen esse servi nullo modo desistant: quia ad hoc ipsum ordinati sunt, ut proficientibus dominis etiam feriendo famulentur. Quia igitur mala reproborum bonos dum erudiant, purgant, utilitati justorum militat etiam potestas iniquorum. » Sic et Beda, qui et insuper addit eum, qui perturbat domum anime sue, pascere ventos, id est oblectare demones. « Stultus, inquit, est peccator quilibet, qui dum vitam sapientis, hoc est justis, invidet, atque invidendo persequitur, ad probationem ejus velit ignis auro deservit. Qui mentem suam tumultibus cogitationum noxiorum conturbare non metuit, hanc utique malignorum spirituum fluctibus, quibus obruatur, aperit. Et qui stultus est, sapientem persequitur. Per hoc et etiam dominando servit: quia patientiam ejus premendo, probatorem reddit, ut, se videlicet damnato, ille bravium pro quo certabat, accipiat. »

30. FRUCTUS JUSTI LIGNUM VITAE: ET QUI SUSCIPIT ANIMAS, SAPIENS EST. — Chaldaeus, et susceptrix animarum est sapientia; Cajetanus, et capiens animas est sapientia. « Lignum vitae » est arbor vitae, sive vitalis, qualis creata fuit in paradiso ad prorogandam homini vitam, *Genes. ii, 9* Jam lignum

sive arbor vitae ponitur pro fructu arboris vite. Sic enim verba apte ordinanda sunt, *q. d.* Fructus justus est instar fructus ligni vite, quem scilicet proferebat arbor vitae. Arbor enim vite mystice est ipsa sapientia et justitia, et consequenter ipse sapiens et justus: fructus vero ejus sunt opera justa et sancta. Sensus ergo est, *q. d.* Justus est similis arbori vitae: sicut enim haec sita in medio paradisi suaves et gratos proferebat fructus, qui homini prorogassent vitam, et conciliassent immortalitatem, ex quibus cuilibet accipere licebat quantum volebat. Ipsa enim arbor omnibus erat exposita, ac copia et suavitate fructuum omnes ad se invitabat et alliciebat. Sic pariter justus sua sapientia et virtute suaves et gratos edit justitiae fructus, quibus tam sibi quam aliis, quos verbo et exemplo justitiam docet, conciliat vitam aeternam et beatam immortalitatem, atque eos omnibus offert, eisque omnes ad se allicit et invitat. Quare justus qui « animas suscipit, » Hebraice לִיבְיָ לִכְנָח, id est capit, id est, ut Vatablus, *inescat*, allicit ac trahit ad se, et ad Deum, hic utique sapiens est: sapit enim non tantum sibi, sed et aliis, quos erudit, justificat, et recta semita ducit ad beatam aeternitatem. Unde Pagninus vertit, *qui docet animas, sapiens est*; וְכִי לִכְנָח enim subinde significat docere: unde וְכִי לִכְנָח vocatur doctrina, quia eam discipulus ab ore doctoris excipit et suscipit. Hoc est quod ait Daniel, *cap. xii*: « Qui ad justitiam erudiant motus, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. » Rursus suscipere in Scriptura est opitulari, dirigere, fovere, protegere, ut patet passim in Psalmis. Suscipere ergo animas est eis auxiliari, easque omni ope et opera dirigere ad virtutem et salutem.

Porro quod Septuaginta addita de more impiorum antithesi, vertunt, *de fructu justitiae nascitur arbor vitae*; auferentur autem intempestive animae iniquorum; et Syrus, *exterminabuntur animae impiorum*; et Arabicus, *ex fructibus justitiae modificabitur arbor vitae*; et animae declinantium a lege removebuntur ante terminum suum, similem habet sensum, *q. d.* Ex justitia quasi ex semine pullulat arbor vitae, id est vita: presentis longevitas et felicitas, ac futura beata aeternitas, similis illi quam conferebat esus pomi arboris vite: vice versa, iniqui cito et immature ante senectam, imo ante etatem virilem ex hac vita auferentur. Cum enim vita a Deo detur et prorogetur ad faciendam justitiam, qui eam non facit, sed inique vivit, hae utique vita meretur a Deo privari. Similis fuit gnome *cap. iii, 18*, ubi de sapientia, id est justitia, dicitur: « Lignum vitae est his qui apprehenderit eam; et qui tenuerit eam, beatus. » Vide ibi dicta.

Noster Salazar rursus haec aetat ad eleemosynam, *q. d.* Justus, id est misericors, mercedis loco capiet arborem vite, id est, vitam non secus producet quam si fructu ligni vite videretur, etatis in dies labantis jacturas quotidie redimens.

« Et qui suscipit animas, sapiens est, » *q. d.* Quapropter qui suscipit animas, id est qui multos pauperes sublevat, qui peregrinos excipit, et necessariis emolumentis donat, etc., hic vere et ex animo sapit. Haec expositio apposita est, sed acrior, nec adaequata, ut patet ex dictis.

Mystice, auctor *Catena Graecorum per lignum vitae* accipit perfectam Dei notitiam quae ex justitia nascitur: *De proventus justitiae nascitur arbor vitae*, hoc est, inquit, « finis virtutum est justitiae fructus; harum autem perfectio est notitia Dei, quae lignum vitae interdum appellatur. » Vide quae de ligno vite dixi *cap. iii, 18, Gen. ii, 9, Apoc. ii, 7, et cap. xxii, 2*.

Sancti est suscipere animas.

Moraliter, discite hic sapientis et sancti esse suscipere animas etiam peccatis oneratas, arumnis afflictas, tentationibus oppressas, ignorantia caecas, angoribus et scrupulis implicatas, atque eos suscipere sublevare, consolari, roborare, illuminare, expedire, Deoque saluti et caelo restituere. Anima enim etiam unica vilissimae rusticae, Indii, vel barbari, pluris est, majorisque pretii quam sit caelum et terra, totumque universum. Ipsa enim est viva imago Dei et S. Trinitatis, creata ad ejus gloriam, ut ipsum in aeternum laudet et celebret: cum anima, quae peccato perditur, perpetim Deum et Sanctos execretur et blasphemet in gehenna. Ita animas quasi libet suscipere Christus, quasi verus earum pastor. Unde ipse ait *Joan. xviii, 10*: « Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. » Et S. Paulus *Rom. xv, 7*: « Propter quod suscipite invicem, inquit, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. » Ita omnes suscipiebat S. Ambrosius, uti habet ejus Vita: « Faellimi, inquit, ad eum aditus, etiam infimis; palam omnibus eum alloqui cupientibus sanctus vir propositus erat; nullus ingredi a janitoribus vetabatur, imo nec adventum aliquem sibi voluit nuntiari: omnes ad se venientes benigne exciperet; inuisusque auidire negotia, commodis et opportunitatibus omnibus inservire, singulorum levare molestias, et perferre miseras et infirmitates consuevit. » Et inferius: « Quotiescumque illi aliquis ad promerendum penitentiam lapsus suos confabatur, ita afflictorum commiseratione, ut fons aliena sicut sua peccata, ad fletum penitentem etiam commoveret, et cansas criminum, quas illi confitebatur, nulli nisi Domino apud quem intercedebat, loquebatur. » Haec Paulinus in Vita S. Ambrosii. Ita ipse suscepit S. Augustinum tunc juvenem Manicheum et concubinarium, dum cum ad fidem et castitatem convertit. Ita suscepit Theodosium Imperatorem post eadem Thessalonicensium, dicens: « Qui secutus es errantem (Davidem), sequere penitentem. »

Exemplum S. Ambrosii.

Mirus in hac re fuit Vitalius, qui quotidie laborando manibus pretium laboris impendebat in meretricibus, ut eo fornicationem illarum redimeret, uti refert Leonius Neapolis in Cypro Epi-

scopus in Vita S. Joannis Eleemosynarii: « Ingreddiens, inquit, civitatem, scribit omnes quae nole erant meretricibus, et coepit laborare opuscula, et accipere per singulos dies siliquam unam. Cum ergo occumberet sol, manducabat unius erui lupinus. Et intrabat ad unam meretricem, et dabat ei aereos nummos, et dicebat: Dona mihi noctem istam, et noli fornicari. Et manebat juxta eam nocte illa, observans eam ne fornicaretur. Stabat ergo a vespere in uno angulo cellulae, ubi dormiebat mulier, psallens et orans pro ea, et mitibus genuflexiones usque ad auroram, et extiens accipiebat verbum ab ea, quod nulli diceret actionem ejus. » Sic et S. Simeon, cognomento Salus, scortationem meretricum dato eis pretio redimebat, uti refert idem Leontius in ejus Vita: qui et addit eum a Deo donum castitatis accepisse adeo eximium, ut etiam cum meretricibus conversans, omni prorsus libidinis sensu careret.

31. SI JUSTUS IN TERRA RECIPIT, QUANTO MAGIS IMPUS ET PECCATOR. — Aliqui hanc sententiam exponunt de justis promissis, quasi ea opponantur injusti supplicis, *q. d.* Si Deus justos non tantum in futura vita praemiis, sed et in praesenti multis cumulatis donis; quanto magis impios non tantum in gehenna puniet, sed et in praesenti vita multis cruciabilibus afflictionibus? Unde aliqui Hebraei sic vertunt, *justus pacem habebit in terra*. Hebraice enim יְשׁוּעָה *sedam* et pacare et retribuere significat; Chaldaeus, *ecce justus in terra roboratur: impius autem et peccator de terra perditur*.

Melius alii passim haec accipiunt de tribulationibus justorum, *q. d.* Si justus ob leves et veniales culpas in hac vita tot castigatur arumnis: quomodo castigabuntur impii ob gravissima scelera non tam in hac vita quam in gehenna? Unde Septuaginta, quos sequitur S. Petrus, *Epistol. II, cap. iv, 18*, vertunt, *si justus quidem via salvatur, impius et peccator ubi peribit*? Arabicus, *peccator ubi apparebit*; Cajetanus, *ecce justus in terra emendabitur*; Syrus, *si justus via vivit, impius et peccator ubi reperitur*; *q. d.* Si justus magno cum labore per multas tribulationes ad salutem eluctando aegre pergit, quanto pro tot enormibus scelerebus supplicia justis impii in gehenna? Hinc illa S. Hieronimi tremebundi in morte ad animam vox: « Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? » Ita S. Ambrosius, *lib. II Apologia Davidis, cap. iii*: « Si justus, inquit, poena atrocioris receperunt sententiam, tu quemadmodum tibi spem impunitatis proponis, cum Scriptura dicat: Si justus vix salvus fit, peccator et impius ubi peribit? » Et S. Augustinus, *lib. XX Contra Faustum*: « Quid nimis justus unice (Dei Filio), cui tamen Deus non pepercit? Et quid evidentiis quod tene justis parcat, emendans eos varietate tribulationum? cum de hac re aperta sit dictum: Et si justus vix salvus erit. » Et S. Gregorius, *XXVI Moral. cap. xvii*: « Peccata, inquit, nequaquam divina severitas inulta remanere oer-

milet, sed iram iudicii a nostra (justorum) hic correptione incipit, ut in reprobatione damnatorum tanquam in fine motus conquiescat: » sicut lapis movetur per aerem, sed in terra quasi in centro conquiescet. Fusc et exacte hanc sententiam explicat I Petr. iv, 18; quare hic ea non repetam, nec actum agam. Porro Lyranus per exempla sic eam explicat: « Si Martyres, inquit, tanta paliuntur iniuste, quanta tormenta manent

eorum tortores? Si Job, Tobias et alii Dei electi tanta in hac vita passi sunt, quid miramur si nos longo inferiores aliqua afflictio laugai? etsi enim impij non sumus, certe si nos peccatores negamus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est, » I Joan. 1. Huc facit illud Canonis:

Quod merito pateris, patienter ferre memento.  
Cumque reus tibi sis, ipsam te iudice damna.

## CAPUT DUODECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Mors suo proponit antithesis diligens disciplinam et eam odientis, impij et justi, operantis et otiosi, stulti et sapientis, cervicis et mendacis, fidelis et fraudulentus: scriptus vero inculcat bona et mala lingue, puta a vers. 13 usque ad 20, et a vers. 22 usque ad 24.

4. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. 2. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. 3. Non roborabitur homo ex impietate: et radix justorum non commovebitur. 4. Mulier diligens, corona est viro suo: et putredo in ossibus ejus, quae confusione res dignas gerit. 5. Cogitationes justorum judicia: et consilia impiorum fraudulenta. 6. Verba impiorum insidiantur sanguini: os justorum liberabit eos. 7. Verte impios, et non erunt: domus autem justorum permanebit. 8. Doctrina sua noscet vir: qui autem vanus et excors est, patebit contemptui. 9. Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane. 10. Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia. 11. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Qui suavis est in vini demoriationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. 12. Desiderium impij munimentum est pessimorum: radix autem justorum proficiet. 13. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem justus de angustia. 14. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. 15. Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia. 16. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est. 17. Qui quod novit loquitur, index justitiae est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. 18. Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiae: lingua autem sapientium sanitas est. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii. 20. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. 21. Non contristabit justum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo. 22. Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placeant ei. 23. Homo versutus celat scientiam: et cor insipientium provocat stultitiam. 24. Manus fortium dominabitur: quae autem remissa est, tributis serviet. 25. Moror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono letificabitur. 26. Qui negligit damnum propter amicum, justus est: iter autem impiorum decipiet eos. 27. Non inveniet fraudulentus lucrum: et substantia hominis erit auri pretium. 28. In semita justitiae, vita: iter autem devium ducit ad mortem.

1. QUI DILIGIT DISCIPLINAM, DILIGIT SCIENTIAM. — Arabicus, qui amat disciplinam (Septuaginta, sensum): QUI AUTEM ODIT INCREPATIONES, INSIPIENS EST. — Arabicus, qui amat disciplinam, amat bonitatem, vel beneficium. Pro discipuli-

nam hebraice est מוסר musar, id est castigatio, correptionem, increpationem. Unde Tigurina, qui diligit castigationem, diligit scientiam: qui vero castigationem odit, obdurescit, id est fit haecus et brutus: hoc enim est hebraice בָּרָר baar. Per scientiam intelligit praeticam, puta morum formationem, honestatem et virtutem.

Sensus ergo est: qui amans est disciplinae, ac, cum ab officio et a recto aberrat, sinit se corrigi, libentique animo correptionem excipit, hic utique amat scientiam morum, puta honestatem et virtutem, ac proinde vere sapit, vere philosophus, id est amator sapientiae est: qui autem odit increpationem, nec, cum male agit, patitur se corrigi, hic utique insipiens est, idque primo, quia ostendit suam superbiam et arrogantiam, qua putat se plus caeteris sapere, ideoque sua vitia et defectus stolidae et superbe defendit. Secundo, quia in errore et vitio perniciter persistit, nec instrui et corrigi vult; ideoque incorrigibilis et inmendabilis est. Tertiam causam mox subjicit ex Antiocho. Quare sicut aeger desipit, qui agilitudinem non agnoscit, nec ei cauterium aut pharmacum acrius admodum patitur, itaque in agilitudine manet et moritur; et sicut a via aberrans desipit, si nolit in rectam viam reduci; et sicut discipulus a veritate declinans desipit, si nolit a magistro emendari et instrui: sic prorsus desipit, qui a virtute et via salutis aberrans non vult corrigi, instrui, dirigi, et in viam virtutis et salutis reponi. Ita S. Chrysostomus, tom. III, hom. De ferendis reprehensio: « Qui, ait, odit reprehensiones, ait Salomon, insipiens est. Non dixit sic vel sic redargui, sed tantum redargui; nam si quidem juste arguit amicus, agit ut peccatum corrigat: sin absque ratione et immerito, jam laudanda est voluntas ejus, et probanda intentio mentis, agnoscendumque et testandum amicitiae beneficium. Non enim reprehenderet, nisi multum diligeret. Proinde ne stomachemur, nec succenseamus, cum arguimur. » Causam subdit: « In peccatis, ait, id efficiunt reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Ideo sicut insipiens est qui pharmaca rejicit, ita et stultus est, qui non grato animo suscipit reprehensiones. » Addit simile ex sole: « Quid lucidius sole? Et tamen lux ejus deficit. Et profecto sicut lucidam illam lucem saepe numero supervenientes tenebrae obtegunt, ita et intellectum nostrum quasi in meridie fulgentem et perspicuum inconsiderantia obrepens tenebrosus reddit; et nonnunquam evenit ut sapiens non videat quod oportet, et minor et hebetior clare et acute illud perspicat. » Unde concludit S. Chrysostomus: « Correptionem bene ferre, non vulgaris, sed summa philosophiae praeconium et laus est. » Sic quoque explicat Antiochus, homil. 68: « Homo, ait, si quidem de se quam modestissime sentit, sequi pro abstracto habet et vili, multa cum animi voluptate et benevolentia exultat, quae in se recidunt correptiones,

aut quamlibet asperam oburgationem. Beatus monachus, qui se aliud esse censet nihil quam omnium peripsema. » Peripsema, inquit Scholiastes, est ramentum et limatura, qua scilicet monachus omnium iudicis et censuris quasi limis se corrigendum, radendum in humilitate omnique virtute expoliendum subiecit. Probat id Antiochus: « Qui odit increpationes insipiens est, quia ei impendit non simplex tribulatio; qui autem diligit eas, liquet hunc jam nulla percelli animi perturbatione, sed sedato est animo. Quam igitur profertur benigne eos exipere, qui nos suis exerceant saanis et scommalibus, quamlibet amarulentis, praeter illis qui nos adorant suis commentitiis laudibus, qui juxta Scripturam vix differant ab eo qui maledicit! »

Insuper S. Augustinus scripsit librum De Correptione et Gratia, in quo obiectibus Pelagianis neminem debere corrigi, quod corrigere vitia sit opus gratiae Dei, non liberi arbitrii et humanarum virium, uti faciebat S. Augustinus et Orthodoxi, respondet cap. v: « Quicumque corrigi non vis, ex eo sane corripiendus es, quia corrigi non vis. Non vis enim tui tibi vitia demonstrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut, cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices ne in illa remaneas feditate. » Et post pauca: « Dolor quippe ille qui sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum, ut Deo miserante, incremento caritatis adjuvus, desinat agere pudenda et dolenda, et agat laudanda et gratanda. »

Hic adde apophthegmata S. Augustini, lib. De Correptione: « Melius est a justo misericorditer corrigi quam fallaciter laudari. » Ita ipse in Psal. cxi. « Nemo corrumpit et instruit sine labore et dolore, quia virtus in infirmitate perficitur, et in Psal. lxxxix. « Correptio ad emendationem pertinet, redargutio furoris, id est accusatio, ad damnationem, » in Psal. vi. « Quem non corrigunt verba, corrigent experientia, » serm. 50 De Temp. « Non corrigimur nisi dono Dei, » homil. 2 inter 50. « Veritas etiam per iniquos corrumpit peccatores, » ibid. hom. 3. Huc facit proverbium Sexti Philosophi, num. 237: « Qui sapienter non obtemperat, nec Deo obtemperabit. »

2. QUI BONUS EST, HAURIT GRATIAM (Hebraice רצון ratson, id est benevolentiam, favorem, gratiam) A DOMINO: QUI AUTEM CONFIDIT IN COGITATIONIBUS SUIS, IMPIE AGIT. — Hebraice est יָרְסוּת iarsota, quod, cum sit in hiphil, significat primo, valde impie agere, ut patet Daniel. ix, 5, et cap. xii, vers. 10. Secundo, significat impietatis reum agere et condemnare. Unde Pagninus vertit, et malas habentem cogitationes condemnabit; et Tigurina, scelus impietatis condemnabitur.

Igitur sensus generalis et adequatus est, q. 4. Vir bonus, qui bonitati et bonis actionibus, qui-